The Electronic *Manipulus florum*

www.manipulusflorum.com

Angelus q

cum fonte primo

Angelis suis mandauit et cetera. O quantam tibi debet hoc uerbum inferre reuerenciam, afferre deuocionem, conferre fiduciam, pro presencia reuerenciam, pro beniuolencia deuocionem, pro custodia fiduciam! Caute ergo ambula ubi sunt angeli ut custodiant te in omnibus uiis tuis. Bernardus ibidem (in sermone quadragesime super illud: Accesserunt angeli).	→ ←	ANGELIS SUIS MANDAVIT DE TE, UT CUSTODIANT TE IN OMNIBUS VIIS TUIS (Ps. 91:11). Quamtam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam! Reverentiam pro praesentia, devotionem pro benevolentia, fiduciam pro custodia. Caute ambula: ubiubi adsunt angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. Bernardus Claraeuallensis, *Sermones in Psalmum “Qui habitat”*, 12.6 (SBO 4, J. Leclercq, C.H. Talbot, H.M. Rochais eds., p.460, ll.12-16).